



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Cornelii Iansenii Episcopi Iprensis Avgvstinvs**

In Qvo Genuina sententia profundissimi Doctoris de Auxilio gratiæ medicinalis Christi Salvatoris, & de prædestinatione hominum & Angelorum proponitur, ac dilucidè ostenditur

**Jansenius, Cornelius**

**Lovanii, 1640**

77. Magni faciunt Augustinum, uno doctrinae capite excepto.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13704**

præscientiam; ut à similibus locis Dei prædestinatio, quam Aug. intelligere solet, excluderetur.

Decimus: Qui vult omnes homines salvos fieri. Hanc omnes Massilienses unanimiter de omnibus omnino hominibus; sicut & recentiores exponunt.

Vndecimus: Non ex operibus, sed ex vocante &c. Totus ille locus à Lessio sic exponitur, ut significetur, Deum in conferenda salute non habere rationem operum exteriorum, præsertim legis, quæ Iudæi tantum faciebant & ob quæ putabant sibi omnia deberi, & omnibus alijs esse præferendos; sed fidei tantum, & interni effectus in Deum & Christum. Quod fusè Apostolum explicando declarat. Eadem est omnino expositio Iuliani Pelagianorum hyperaspistis fidelissimi, qui eam adversus Aug. animosè verbosèq; defendit: Comprimi, inquit, gentium Magister Iudæorum tumorem, & ostendit, non seminibus humani generis, sed in moribus esse distantiam, ut se illi agnoscerent, nisi fideles esse curassent, nullâ prærogativâ circumcisi generis vindicandos. Et mox addit, Iudæi in Ceremoniarum & hostiarum observatione gloriantes, alijs nationibus se præferendos putasse. Cui expositioni suam opponens Aug. Ve sciam qui intelligenter legunt, quem admodum conatus fueris verba Apostolica obnubilare, clara & recta pervertere, huic disputationi tuæ ex eadem oportet Apostoli disputatione respondeam. Eadem est & Fausti Semi-Pelagianorum deterrimi, qui totum locum refert ad credituros, & non credituros: & verba non ex operibus, eodem modo exponit, non ex operibus legis.

Quod si tempus huiusmodi locis colligendis impendere liberet, aut necesse esset, vix ullus locus alicujus momenti à recentioribus instituto eorum adhiberi forsan deprehenderetur, qui non ante à Pelagio, vel Iuliano, vel auctore aliquo in hac re suspecto, fuisset usurpatus. Non quod significatum velim, erroneas esse cunctas istas interpretationes, absit; sed hoc tantum, quod relicta interpretationibus August. quæ in isto obscurissimo & periculosissimo argumento versantibus erant amplectendæ, suspectas & à Pelagio, vel discipulis, vel Magistris eius, vel à Grecis in hac materia periculosissime loquentibus & sententibus, excogitatas, arripere maluerint.

NOTA LXXVI.

Eodem modo accersuntur in præsidium Græci Patres.

Post Scripturas sequuntur Patres, quorum in rebus theologis conspiratio non parvum est veritatis argumentum. Hos Massilienses pene omnes adversus Augustinum stare invidiosissime contendebant. Nam inde sunt illa verba eorum apud Prosp. Obstantionem suam vetustate defendunt; & ea quæ de Epistola Apostoli Pauli Romani scribentis ad manifestationem divinæ gratiæ prævenientis electorum merita proferuntur, à nullo unquam Ecclesiasticorum ita esse intellecta, ut nunc sentiantur, affirmant. Idiplum & Hilarius eos magnopere urfisse testatur. Itaque clamabant, ut ait ibidem Prosper, Contrarium Patrum opinioni & Ecclesiastico sensui, quicquid de vocatione Electorum secundum Dei propositum Augustinus disputaverat. Quis autem fuerit iste Ecclesiasticus sensus, & qui Patres, non est difficile deprehen-

dere. Nam sensum istum declarat Prosper in fine istius Epistolæ, cum dicit, quod pene omnium par invenitur & una sententia, quæ propositum & prædestinationem Dei secundum præscientiam, voluntatis, vel fidei, vel orationis alicujus, vel operum susceperunt. Patres vero illi non alij fuerunt, quam Origenes, ceterique penè omnes Græci, qui ipsum propter ingenij excellentiam & explicationum ubertatem & varietatem avidissime imbibebant, & prono consensu secuti sunt. Ipse vero in Epistolam ad Romanos, & in libros periarchon, errorem de prædestinatione secundum præscientiam, omnesque ceteros Pelagianorum & Massiliensium tantâ copiam & accuratatione præcudit, ut post Pelagij aetatem vixisse videatur. Quod nos alibi pluribus patefecimus. Ex Latinis etiam Ambrosiaster non multo callius de gratia & prædestinatione scripsit: Ipse Augustinus ex incuriosa forsan Origenis, aut aliorum Græcorum lectione, in eundem errorem impactus fuit, nec inde nisi divinâ revelatione liberatus. Tam pronum est naturæ miserabili de se medullitus præsumenti aliquid prius dare velle Deo, ut retribuatur ei.

Recentiores nostri cum eandem sententiam de proposito & prædestinatione Dei secundum præscientiam avidissime susceperint, & ex professio tueantur, etiam in hoc dissimiles sibi Massilienses esse noluerunt, quod Græcorum sententiam tanquam sibi patrocinantem probant. Hinc est enim quod passim Lessius, Molina, & alij Origenem, cujus doctrinâ pestis est gratiæ Dei, alioquo Græcos pro se citent, & interpretationes eorum uti Massilienses, Augustino opponant, eoque rejecto exofusculentur. Quod penè in singulis explicationibus Scripturarum apud Lessium libro de prædestinatione videre licet. Quasi non esset facillimum universam Semi-Pelagianam hæresim ex Origene & ceteris Græcis stabilire. Vnde Gabriel Vasquez ceteris non nihil cautiore in hac re, palam proficitur Origenem, Chrysostomum, Theodoretum, Oecumenium, Theophiladum, ceterosque Græcos Massiliensium opinionem tradidisse, quos tanquam columina suæ doctrinæ Lessius in hoc argumento, tam densè citat, ac tanti facit.

NOTA LXXVII.

Magni faciunt Augustinum, uno doctrinæ capite excepto.

Et quamvis Græcis Massilienses adhærescerent, magni tamen fecerunt Augustinum, & quasi inviti in isto doctrinæ capite reliquerunt: Sed plane, inquit Hilarius ad Augustinum, illud tacere non debeo, quod se dicant tuam sanctitatem, hoc excepto, in factis & dictis omnibus admirari.

Nec dissimiliter recentiores Augustinum extollendo magni faciunt; sed cum ad rem veniunt, in hoc articulo prædestinationis & gratiæ, ab eo discedendum putant. Imò vero, ait Molina, esto hi duo Patres (Augustinus ac Thomas) in eam sententiam inclinaissent, salvâ eorum reverentiâ, quæ eis debetur maxima, quoad illud secundum, quod prædestinatio non est secundum præscientiam usus liberi arbitrii, admittenda non esset.

NOTA

Less. sect. 3. n. 32.

Ep. 1. oper. imp. apud Aug.

Vide lib. 6. de hæresi Pel. c. 13. 14. 15. 16. 17.

Lib. de præd. 55. c. 4.

Vasq. in 1. p. diff. 89. c. 3.

Epist. ad Aug.

Hilari. ad Aug.

Hilari. in Epi. ad Aug.

Mol. q. 21. a. 4. c. 5. disp. 1. sum. 6.